

63. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *disp. 2. de peccat. sect. 3. & 3. p. disp. 4. sect. 7.* Arriaga *tom. 3. disp. 54. sect. 4. subsect. 1.* Rhodès *tom. 1. disp. 2. de Angel. q. 3. sect. 1. §. 5. & disp. 3. de peccat. q. 1. sect. 2.* Lugo *de Incarn. disp. 5. sect. 3.* Carleton *tom. 2. disp. 45. sect. 6.* Amicus *disp. 23. sect. 4.* Vazquez *1. 2. disp. 99. cap. 8. & disp. 100. cap. 5.* Bernal *disp. 5. sect. 3.* Valentia *tom. 2. disp. 6. p. 3. & q. 17. p. 4. & 3. p. q. 1. p. 5.* Granad. *1. 2. Controv. 6. tract. 3. disp. 5.*

64. Ex aliis D. Bonaventura *in 4. dist. 46. q. 2. art. 1. & seqq.* Pasqualig. *disp. 26. sect. 3.* Caspenf. *disp. 6. sect. 4.* Bonacina *de Incarn. disp. 2. q. 2. punct. 5.* Gaudent. *tom. 4. tract. 3. disp. 2. q. 4.* Averfa *q. 88. sect. 5.* Alenf. *3. p. q. 1. memb. 6. art. 2.* Morand. *tom. 3. de peccat. q. 9.* Gamachæus *tom. 3. tract. de peccat. q. 87. cap. 3.* Et Authores adducti *tom. 1. p. 1. dist. 15. q. 2.*

65. QUÆST. 4. An in damnatorum, aliorumque hominum punitione, non solum justitia, verum & misericordia eluceat? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas *in 4. dist. 46. q. 2. art. 4. & 1. p. q. 21. art. 4.* Fer. e *tom. 2. tract. 10. q. 2. §. 7.* Contenson *tom. 1. lib. 2. dissert. 3. cap. 2. specul. 3.* Cruz *tom. 1. disp. 133. q. 21.*

66. Ex Subtili Scholâ Scotus *in 4. dist. 46. q. 2.* Brancatus *de Lauræa disp. 13. art. 14.* Castillent. *in Polyant. Seraph. verb. misericordia, diff. 1. num. 3. & seqq.* Gallus *in 4. dist. 46. q. 3. & seqq.* Hiquæus *in 4. dist. 46. q. 3. art. 1. & seqq.* Cotonius *tom. 1. lib. 6. Controv. 2. art. 1. cap. 1.* Aquila *in 4. dist. 46. q. 5. & seqq.*

67. Ex Scholâ Eximiâ Suarez *disp. 4. de Charitate sect. 1. num. 8. & seqq.* Muniellâ *tom. 1. disp. 11. sect. 2.* Carleton *tom. 1. disp. 35. sect. 9.* Quiròs *de just. q. 11. art. 3. dub. 1.* Rhodès *tom. 1. disp. 2. de Angel. q. 3. sect. 1. §. 5. & disp. 3. de peccat. q. 1. & seqq. art. 1.*

68. Ex aliis D. Bonaventura *in 4. dist. 46. art. 2. q. 1.* Gaudentius *tom. 1. tract. 1. de Deo uno, disp. 19. q. 5. & 6. & tom. 4. tract. 5. disp. 4. q. 6.* Alensis *1. p. q. 39. memb. 2. & 3.* Baudunius *tom. 1. q. 21. dub. 1. art. 3.* Bassæo *verb. misericordia, num. 7. & seqq.*

69. QUÆST. 5. An pœna æterna sit debita peccato veniali conjuncto cum mortali? De quo, *tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 1. & 2.*

70. QUÆST. 6. An peccata venialia non solum quoad pœnam, verum quoad culpam remittantur in purgatorio, sive in inferno? De quo, *tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 1. & 2.*

71. QUÆST. 7. An, & quomodo spiritus in purgatorio, sive in inferno puniantur igne corporeo? De quo, *dist. 44. q. 1.*

72. QUÆST. 8. An materiale possit phisicè agere in spirituale? De quo, *dist. 44. q. 1.*

QUÆ-

73. QUÆST. 9. An gravitas peccati sive offensa sit simpliciter infinita? De quo, *tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 2.*

74. QUÆST. 10. An possit remitti unum peccatum mortale sine alio ex naturâ rei? De quo, *tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 1.*

DE EXTREMO JUDICII MODO.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ-SEPTIMÆ SYNOPSIS.

Ultima prudenti dabitur sententia Christo,

Quam confirmabit candida turba Patrum.

Sic incipit: Solet etiam quari.

Sic terminat: Incentores in culpâ.

1. **C**onnectitur hæc præfens distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de misericordiâ, & justitiâ, quæ sunt causæ rectissimæ remunerationis justorum, reproborumque in judicio; sed in præfenti determinat de ipso judicio, formâ, modo, & aliis pertinentibus ad illud: ergo recte inter se hæc distinctiones cohærent.

2. Consequentia probatur: In quocunque judicii actu prius est expendere justitiâ, & misericordiam, quæ sunt remunerationis causæ, quàm ipsum judicium, formam, & modum illius referare, eò quòd necessariò ipsum antevertant judicium illæ remunerationis causæ; sed Magister in superiori distinctiõne egit de misericordiâ, & justitiâ, quæ sunt justorum, reproborumque omnium remunerationis causæ in judicio: ergo in præfenti de ipso judicio, formâ, modo, & aliis pertinentibus ad illud differere, haud dubiè erit rectum tenere ordinem.

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ expendit Magister, qualiter non solum Christus Dominus, sed etiam Sancti, alique perfecti viri judicabunt malos, & reprobos in universali judicio. In secundâ verò declarat modum, quò Angeli judicandos debeant ad judicium congregare. In tertiâ autem, & ultimâ statuit, dæmones in inferno damnatos punire debere.

4. **PRO PRIMÆ** igitur partis perspicuâ indagine, hoc primum, pro-

proponitur placitum: *In extremo iudicio non solum Christus Dominus, verum universalis perfectorum cohors iudicabit glomeratam reproborum turbam.* Ante cuius probationem, nonnulla Doctorum de modo, forma, & solemnitate iudicii, & iudicandorum sententiâ, voce, aut scripturâ proferendâ recenset Magister placita.

5. Primò constantèe his dixerunt aliqui, sententiam illam extremi iudicii traditam à Matthæo cap. 25. hæcque verborum serie contentam: *Venite benedicti Patris mei, &c. Ite maledicti in ignem æternum, &c.* non esse voce, aut scripturâ proferendam, sed solum mentibus hominum exprimendam.

6. Hoc utique eorum ratiocinium firmant, primò, quia Scripturâ sacra apertè non definit, an voce, aut scripturâ sententia illa sit proferenda: ergo licet ipsis opinari non esse vocaliter proferendam, sed tantum conscientis hominum detegendam.

7. Secundò, quia Apostolus 1. Corinth. cap. 15. ait: *In momento, & in ictu oculi, &c.* Mysterium consummandum fore; sed si sententia illa extremi iudicii voce, aut scripturâ esset proferenda, quemadmodum eam recenset Matthæus cap. 25. non posset in momento, & in ictu oculi absolvi, ut ex se claret: ergo sententia universalis iudicii non erit voce, aut scripturâ proferenda, sed solum mentaliter hominibus expendenda.

8. Alii in eadem textus Magistri litterâ oppositum sustinent, assertentes, sententiam illam universalis iudicii voce sensibili exprimendam fore. Primò, quia hoc magis consonat sacræ Scripturæ dicenti: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare, & alia huiusmodi, prout refert Matthæus nuper adductus: ergo sententia illa postrema, & universalis proferenda erit voce sensibili, & non tantum hominum mentibus referenda.*

9. Secundò, quia illud Apostoli alloquium: *In momento, & in ictu oculi, &c.* solum ad resurrectionis statum, & non ad iudicium, sive ad acta illius referunt. Hæc etenim sacro Apostoli textui magis congrunt, dicenti: *In momento, & in ictu oculi mortui resurgent incorrupti.* Ergo potius ad resurrectionem mortuorum, quam ad iudicium, formam, sententiamque illius referunt.

10. Probat jam primò suum assertum Magister ex Divo Matthæo cap. 19. ubi loquens Christus Dominus cum Apostolis, ait: *Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Sed hæc, ut passim exponunt Patres, non solum Apostolis, verum aliis viris iustis, atque perfectis, Apostolorum vestigia prementibus, potestas iudicandi

iudicandi promittitur: ergo in extremo iudicio non solum Christus Dominus, sed etiam tota perfectorum collectio iudicabit numerosam reproborum catervam.

11. Secundò probat Magister: Si solum duodecim Apostolis foret iudicandi potestas promissa, Paulus Apostolus, qui plus omnibus laboravit, ubi suam constituet sedem, si non ibi sedebunt nisi duodecim? Sed Paulus Apostolus etiam cum aliis se iudicaturum jactat: ergo per duodecim sedes iudicantium tota perfectorum collectio intelligitur, qui relictis omnibus secuti sunt Christum: ergo conglomeratam reproborum turbam Christus Dominus unâ cum numerosâ perfectorum cohorte in extremo iudicio districtè iudicabit.

12. Tertiò suadet Magister ex illo polito, quanvis operoso textu Psalm. 149. *Gladii ancipites in manibus eorum.* Idest, sententia de bonis, & malis in potestate eorum; sed hic textus communiter exponitur de numero, candidatoque Sanctorum cœtu, qui personam iudicantis induent: igitur iudicandi potestas in iudicio universali, non solum apud Christum Dominum, verum & omnes Sanctos ejus, autoritate, & potestate vigeat.

13. Quartò etiam ratione, nonnullas ex dictis concinnare possumus probationes: Idè Deus Filio suo iudicium, & potestatem iudicandi contulit, quia ipse, cum esset iustus, iudicatus est tanquam impius, ut innuit Job cap. 36. Sed omnes Sancti, cum essent iusti, iudicati sunt quasi impii, ut liquet ex Sap. cap. 5. Ergo omnes in universali iudicio habebunt potestatem iudicandi reprobos.

14. Quintò: Etsi Christus Dominus sit Redemptor, & Salvator noster, ipse tamen animarum salutem per prædicationem Apostolorum & Sanctorum nobis dispensavit; sed gloria debet respondere gratiæ: ergo videtur rationi consonum, quod per Apostolos, aliosque viros perfectos proferat retributionis sententiam; atque adè omnes hi reprobos turbam iudicabunt.

15. Sextò: Sicut per duodecim Apostolos, omnes viri perfecti intelliguntur; sic per duodecim tribus Israel, universitas iudicandorum exprimitur; sed duodecim Apostolis, sive omnibus viris perfectis data est potestas iudicandi duodecim tribus Israel, sive universitatem iudicandorum: ergo quia numerosa, candidataque perfectorum cohors iudicabat in extremo iudicio immensam reprobos congeriem.

16. Hic animadvertit Magister, quod si quis avidus descendit inquirat: Quæ erit eorum potestas, vel autoritas in iudicando? Sicut hæc apta responsio his contenta verbis in litterâ: *Puto non ante posse sciri,*

quam videantur, nisi divina revelatione quis didicerit. Tamen dicimus, nomen iudicis duplici ex capite sortiri posse. Aut quia ipse est ferre sententiam, aut quia assistit ferenti, quemadmodum aliqui iudices assistunt, & quodam modo consulunt iudici principali.

17. Qui ergo in universali iudicio feret sententiam erit Christus Dominus, ut principalis & præpotens iudex: At Apostoli principaliter tanquam capita, & eorum perfecti imitatores assistent iudici principali, non ad consulendum, quia Dominus consilio non indiget, sed ad honorabilem confessionem, & appropinquationem ad iudicem, necnon ad approbandam ut justam Domini sententiam, & reproborum vitam suâ comparatione damnandam. In hoc etenim sensu tota perfectorum collectio gaudebit sorte iudicandi ferè innumeram reproborum congeriem.

18. Sed oppones primò: Christus Dominus est constitutus à Deo iudex vivorum, & mortuorum, ut constat ex Act. cap. 10. Ergo soli Christo Domino debetur iudiciaria potestas: ergo in extremo iudicio solum Christus Dominus, non Apostoli, nec universalis perfectorum cohors iudicabit numerosam reproborum multitudinem.

19. Respondetur, quòd soli Christo Domino tanquam iudici principali debetur iudiciaria potestas; sed hoc non officit, ut Apostoli, & alii viri perfecti polleant potestate iudicandi, verumque iudicis fortiantur nomen, non ut Christus; quia huic solum congruit sententiam ferre; sed quatenus assistunt iudici principali, approbant ejus sententiam, ipsique proximè, & honorificè assident, ut nuper expendimus.

20. Oppones secundò: Iudex debet esse immunis à peccato, ita ut ipse non committat, quod in alio damnat; aliter posset de illo dici illud Pauli ad Rom. cap. 2. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas; sed Christus Dominus fuit absque omni contagione peccati: ergo ita est proprium illius iudicare in extremo iudicio reprobos, ut non conveniat Apostolis, nec aliis viris perfectis, qui relictis omnibus sequuti sunt Christum.

21. Respondetur, hanc, & alias huic consimiles instantias nihil contra Magistri assertum probare. Solum enim evincunt, Christum Dominum esse principalem iudicem universalis iudicii, ipsumque primò, & principaliter iudiciariâ potestate potiri, quod reverà non retardat, Apostolos, & alios viros perfectos fore in alio sensu, inferiorique gradu iudices, habereque iudicandi potestatem ortam ex approbatione sententiæ, assiduâ assistentiâ erga iudicem, approximatione ad illum, honorabili confessione cum ipso, & aliis muneribus hanc infe-

riorem iudicandi potestatem, & iudicis officium constituentibus.

22. Postea Magister quatuor ordines cum Divo Gregorio lib. 26. Moral. cap. 24. in iudicio statuit, duos electorum, & totidem reproborum. Primus reproborum ordo est eorum, qui iudicabuntur, & peribunt. Secundus eorum, qui peribunt, sed non iudicabuntur. Primus verò electorum ordo est eorum, qui iudicabuntur, & non peribunt. Quartus denique eorum, qui non iudicabuntur, sive sine iudicio tunc salvabuntur.

23. Sic primò geminum reproborum ordinem expendimus. Primus est eorum, qui iudicabuntur, & simul peribunt, quos his Dominus redarguet gravissimis verbis desumptis ex Matthæi cap. 25. *Esurivi, & non dedistis mihi manducare, &c.* nempe eos, qui fidem sine operibus professi sunt; sed consonum videtur rationi, ut impii Christiani, qui fidem sine operibus professi sunt, iudicentur in universali iudicio, simulque pereant: ergo primus reproborum ordo iudicabitur, simulque peribit.

24. Secundus verò est eorum, qui peribunt, sed non iudicabuntur, quibus congruit illud Joannis cap. 3. *Qui non credit, jam iudicatus est*, quippe infideles, qui à fide alienati fuerunt; sed ex eò quòd infideles, sive non credentes jam iudicati sint, sive eorum damnatio toti universali Ecclesiæ innotescat, non opus est, ut iudicentur, sed quòd pereant: igitur secundus reproborum ordo peribit, non tamen iudicabitur.

25. Pariformiter, duplicem electorum felicissimum ordinem etiam referamus hîc. Primus est eorum, qui iudicabuntur, & non peribunt, imò salvabuntur decedentes, scilicet in pœnitentiâ, de quibus verificantur verba illa Matthæi supra allegati: *Esurivi, & dedistis mihi manducare.* Sed verba hæc satis clarè demonstrant, eos esse iudicandos, simulque salvandos: ergo primus electorum ordo iudicabitur, & non peribit, imò salvabitur.

26. Secundus tandem est eorum, qui non iudicabuntur, sed sine iudicio tunc salvabuntur, ut perfecti in hac vitâ, qui consiliorum perfectionis apicem assequuti, & Apostolorum arctas semitas æmulati fuerunt. Hi etenim sunt illi, qui non iudicandi, sed iudicaturi cum Domino sedebunt: ergo secundus electorum ordo non iudicabitur, sed sine iudicio tunc salvabitur, & unâ cum Christo Domino omnes alias iudicabit nationes juxta illud Sapientiæ cap. 3. *Judicabunt Sancti nationes, & dominabuntur populis.*

27. Hunc electorum postremum elevatissimum ordinem maximè

præ aliis commendat excelsè Magister, ipsique solum judicandi potestatem confert, innixus tamen aliquibus sacræ paginæ testimoniis, quæ ad longum suggerit in litterâ. Satis sit nobis illa recensere modò, & ad nostrum obiter adducere intentum. Primum desumitur ex Isaia cap. 3. dicente: *Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui.* Sed senatores populi sui sunt omnes Sancti, qui relictis omnibus securi sunt Christum Dominum: ergo si Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui, veniet cum iis viris perfectis, qui unâ cum Christo Domino indicabunt nationes, & dominabuntur populis.

28. Secundum suppeditat cap. 31. Proverb. his verbis: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* Ergo tunc regia Christi Domini nobilitas, ejusque exaltabitur majestas, quando sederit in portis conscientiarum judicandorum in extremo iudicio cum senatoribus terræ, idest, cum viris perfectis, qui Apostolorum arduam vitæ rationem æmulati fuere: ergo hæc specialis iustorum congregatio assistet judici supremo, & principali, & simul cum eò iudicabit omnes tribus Israel.

29. Tertium sic ministrat Job cap. 36. *Non salvat impios, & pauperibus iudicium tribuit.* Ergo qui quantò huic mundo magnâ humilitate despecti sunt, tantò tunc majori culmine potestatis excreverunt, sed hi sunt viri Sancti & perfecti, qui humilitate, & patientiâ Apostolorum vestigia in hac vitâ sunt secuti: ergo in aliâ magno potestatis culmine ad iudicandum in postremo iudicio poterunt.

30. Quartum tandem, & ultimum suggerit Joannes in Apocalyp. cap. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: Sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* Ergo quemadmodum Christus Dominus vicit, & sedit cum Patre suo in throno ejus; sic Sancti, qui vicerint, dabit eis, proportionem servandâ, sedere cum eo in throno suo in die universalis iudicii; sed Christus Dominus ut supremus, principalisque iudex sedebit in throno suo ad iudicandum: ergo hic secundus electorum ordo sedebit unâ cum Christo Domino in throno suo, ut iudicium ferat; ac proinde ipsi tantummodò data est iudicandi potestas. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

31. PRO SECUNDÆ verò partis ostensione, hoc secundum erigitur placitum: *Angelorum ministerio congregabuntur ad iudicium omnes judicandorum acies.* Quod satis congruè deducimus ex Magistro inquirente: Quid in universali, extremoque iudicio ab Angelis operabitur? Et respondet, eorum fore ministerium proprium, omnes ante tribunal supremi iudicis sistere gentes; necnon & aliis inservire muneribus infra admodum aperiendis, Pro-

32. Probat primò Magister ex illo Matthæi cap. 13. dicente: *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Et iterum ex eodem Matth. cap. 24. *Mittet Angelos suos cum tuba, & congregabunt electos à quatuor ventis.* Ergo hoc quod est congregare judicandorum acies ad iudicium, revera est datum Angelis, ut eorum celeri ministerio ante tribunal Christi Domini omnes adducantur gentes.

33. Secundò, id ipsum probat ex Regio Vate Psalm. 49. *Congregate illi Sanctos ejus,* idest, Christo Domino supremo omnium iudici: ergo per ministerium Angelorum hoc esse implendum in iudicio universali, nullus sanæ mentis dubitare poterit: igitur Angeli cunctas judicandorum turmas ad iudicium adducunt.

34. Sed oppones: Angeli sunt nobilissimi, fulgoris luce corusci, & generis egregio splendore creati, qui quasi filii Dei in ejus regia curiâ assunt; sed sævi tortoris officium committi filio, sive filiis illustribus insignitis titulis non decet: ergo nec ministerium congregandi omnes gentes ante tribunal Christi Domini, malosque in caminum ignis mittendi, erit Angelorum dignitati, & naturæ decorum.

35. Respondetur negando Consequentiam: Nam valde diversa est ducere homines ad supplicium, ac eos tormentis cruciare. Primum non est carnificum, sed illustrium ministrorum, qui assunt Regi ejus iussa explecturi; minime secundum. Unde non dicimus, quod Angeli boni debeant reprobos in igne vexare, sed quod eos adducant, mittentque in caminum ignis, quod indecorum ac turpe à nemine arbitrari potest.

36. His tria in textus litterâ annectit Magister. Primò, quod Angelorum ministerio ignis conflagrationis præcedet iudicium, quò comburentur facies universæ terræ, sive hujus mundi: Et peribit Cælum, & terra, non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ valde tabescent, & immutabitur; Cælum quidem æereum, non æthereum.

37. Quod sic obiter suaderi potest. Primò: Dominus in igne veniet, juxta illud, dum veneris iudicare sæculum per ignem; sed adventus Domini iudicium præcedet: ergo & conflagrationis ignis ministerio Angelorum iudicium antevertet. Secundò: Ignis ille conflagrationis elucet, ac purgabit electos; cui consonat illud Malac. cap. 3. *Ipse sedebit conflans, & emundans argentum:* Sed omnes electi jam illibati, & mundi assistent ante tribunal iudicii: ergo quia ignis conflagrationis præcedet iudicium Angelorum ministerio.

38. Verum hæc Magistri rigida sententia non satis explorata est apud